QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. DECEMBRIS.
M. FRANCISCO BLONDEL Doctore Medico, moderatore.

An Primi partus viuaciores? 781.


VIS redduntur cuncta principijs. Ex illo *In peius ruere & retro ſublapſa referri.* Contracta virtus ſenſim deficit: dúmque per tam multiplices mutationum periodos, velut ἀνακαθάρσει τῆς γενέσεως laborans Natura è cliuo pendet, in interitum vel ſponte lubrica ruit, aut vi præceps deuoluitur: nec ad prioris ſtatus apicem reditura quem nuſquam attigit, & in quo ſtare viſa eſt nunquam. Mundus quia ortus διαιρετὸς, αὐξητὸς, μειωτὸς, conſors ſenij ſua habet πάθη δινήσεις & κρύψεις ceu ἀναπαύσεις. quibus denuo ſurgit fugítque ſtudio ἀποκαταστάσεως. Æther ὑπάρχης contrario non vacat, præter naturam ſpatia remetiens ſua ſe ſibi iniquiùs in dies reſtituit. Prima rerum ſeminaria elementa pertinacibus odijs cuncta debilitant, inquinant, corrumpunt: vnde mixtis omnibus integra portio communis excidij. A primo ortu plantæ degeneres ſine mangonio meretricio naturam non inuitatæ ſæpius exuunt. Anniculũ ſemen optimum, bimum deterius, trimum peſſimum. Triticum primo nunquam, tertio anno frequentiùs in lolium, ocimum in ſerpyllum, ſiſymbrium in mentham fingitur: in oleaſtrum olea, ficus in caprificum, vitis in labruſcam deformatur, & per hæc adulteria quæritur alter exitio locus. Parenti ſobolíque iniuria reſtibilis fœcunditas breuioris æui damno plectitur. Vberiore ſeminio plantæ fiunt ὑπέρινοι (adeo perniciosè luxuriant vt parere malint quàm viuere) indeſata infeliciùs adoleſcunt fato præcipitatæ ἀναύσεως. Πολυχιδῶν fœcunditas informi mutilóque partu infamatur vt leporum, vulpium, canum, vrſarum. Quinque catulos primo fœtu parit læena, per annos ſingulos vno minùs, ab vno ſterileſcit. Voce & plumâ verſatili Arcadica Merula ęſtate obſtrepera, hieme balbutit, muta ſolſtitio, iterato partu deterior. Hominem δῆλον ἐναρμόνιον, ne credas huic ruinę ſeponi, ἀιφνίδιος hęc ῥοχηλασίη municipale ius eſt, iugi parturigine exhauſtâ vi ſeminum ἀνδρογενείας fatali commercio, Neſcit patribus ſeniores, habitiores, proceriores natos ętas noſtra in σκιαπέλοις non auſa ſurgere, exit in fabulam prima Gigantum moles, quam dudum eiurauit in nanis effœta penu pauperiore natura.


DEO ſera cùm ſit in fundo parſimonia quod primum eſt optimũ fecit nuſquam indulgentior quàm rerum primordijs, quum ſui iuris eſt necdum properantis ęui tyrannide circunſcribitur. Sic glebæ melioris laſciuiâ fit tandem tellus ἀφάρωτος Annoſę mali minora poma vitiũ infelici maturitate fallunt plena vermiculis. Ferax ſolùm ficus annotinâ ſobole, laſciuit πρωτεικαῖς, chelidonijs parcior. Morus verè μῶρος ſerotino germine frugiperda. Naturalium operum ſors melior pendet ab annis. Vigore definita ſolidarum partium ſubſtantia ſolis infantibus amiſſa redditur. Nutritia viſcera, in quibus ſicut in pręſepio torquet ſibi funiculũ Ocnus ille ἰσαέθμιος τοῖς ἄγροις, meliore genio ditant pueros quàm vigentes, licet his facultatum adminiſtrarum virtus expeditior. Fœmina mole & temperie mutilum animal numquam feliciùs viuit quàm quum ἄνηβος ἢ ἀμύητος, vt populus, ſubarata ocyùs ſeneſcit quanquam viro tardiùs. Ὀψιγάμοις abdicatâ venere proles infelicior pro ſupplicio naſcitur, cuius ſpem quam non ſoluit ἔκρυσις, corrupitue fœcunditatis largitor abortus (primo vel altero menſe non tertio aut quarto metuendus) inter difficiles parentis enixus eliſit plerunque inimica nimium Lucina: addixitque partum peculio Proſerpinæ; formatricis errore debilem, ἄναρθρον, vt Antigenis vxori ἀνόστεον, vix æqualem palmo; microcephalum, thorace depreſſo, obſtipâ ceruice, anginæ aſthmati obnoxiâ, ſpinâ repandâ ἄνωθεν damno partium ſpirabilium, ſub diaphragmate ſerioris rarioriſque barbitii ſimul & pubis dehoneſtamento, probro ἀφοσίας ſecuturæ: γαλιάγκωνα, ſine vnguibus digitorum carne prominulâ, plurimo lòtio, raris dentibus, pedum blæſitate quos ita torſit vetulę parentis infelicitas, molæque informis, interdum ſoſpitis embryi συνεσίου, quàm eiuſdem διαπλάσει ætas aptior. Sic verſamur per ſequioris naturę ludibria, plantę, bruta ſimus, neſcio an homines naſcamur, per multas durati mortes vt citiùs diſcamus mori.


ITA (nequaquam ſine felle aut liene beatior) τὸ ζώντων εἶναι καὶ διαμονὴ primam animæ cum corpore μέθεξιν conſequens nemini mancipio venit ſed conducto: caloris inſiti viget ipſa alternante motu ἔνδον καὶ ἔξω: vnde nutritio, pulſus, ſpiratio primariæ eius actiones nec omnino neceſſariæ: vti haud metienda radicum altitudine in plantis, ita nec magnitudine partium in animalibus: iis duntaxat productior quibus flamma illa Veſtalis humidi primigenii vbertate & gratiâ diues, ſpirituum ὁμοζύγων excubante ſatellitio firmatur: nequicquam aſcripta figuratis lapidibus Cabalæ delirantis, impiíue Paracelſi pharmacis conſtellatis, Gamahæarum præſtigiis, Delticis impreſſionibus, aut futilibus ſchematiſmis. Non eſt tamen quod ſua ſideribus iura deneges, quæ irrequietâ vertigine, συναφῶν & ἀπορροιῶν nexu multiformi viuentium ſortes temperant fatalibus anaphoris. Inter ſata αὐτοετῆ annuis mortibus hortos deformãt. Τείμηνα Ἐπίσπορα primo ſatu lætiora multò, ſemine mox euanido occidunt. Vernant quędam in biennium. Τὰ κεφαλοβαρῆ animantibus ipſis viuaciora, quia vitali ſucco pręgnant non ſemine. Ex inſectorum genere Κολεόπτερα ἐπέτεια. Quibuſdam tota premitur in diem ętas vt mulionibus, & auiculę quadrupedi ad Hypanim. Suis pariter ruit vicibus ętas mortalium haud æqua cunctis. Mulier ὠκύμορος naturæ fit iniuriâ: Vir generis beneficio βιοθάλμιος etſi non vbique, ſed genituræ maleficio vel gratiâ, cœli ſolíue indole damnatur ſeriùs ocyùs Ergini canis. Gentilitia Albanorum pueris canities. Mandorum fœminæ ſeptimo anno ſemel pariunt, ſeneſcunt quadrageſimo. Taprobanæ incolis vita longior ſub Æquinoctiali; vt in Coo ac Cnido. Borealis plagæ σκελιφροὶ hoſpites ſalubriùs degunt ſed breuiùs, vt toto Europæ tractu quàm Aſiæ, vere quàm cæteris tempeſtatibus. Ἐπταμήνων ſalus vix in tuto niſi in πρωτογόνοις, neque octimeſtrium præterquam in Ægypto & Naxo, quaſi in iis vbertatem omnem vitalis auræ eblandito genio ſoli vteríue quadragenariæ ſortis infamiâ maximâ, aliis non parciturâ niſi in pœnam.


NIMANTIA cætera (ſi piſces demas) feliciùs degunt quum prægnant ſola mulier primo puerperio: tanta vis ineſt primario vt in Criſibus ita & partu. Critici dies & partus quò longiùs diſtrahuntur minùs γόνιμοι: hinc primigeniorum accuratior conceptus, ab abortu ſecurior geſtatio, partus quoque (quem maturat Venus obſtetricia, refrigerii penuriâ non alimenti, quamuis pigrior veniat πολυαίμοις) auſpicatior quàm cæterorum. Fruſtrà ſibi ad ſecundiorem enixum patentiore alueo blanditur afflictis iam viribus Venus ἐπιτυμβία. Æquo fugit pede proles poſtuma, & præproperæ libidinis nata furto. Virgo necdum ὡραία licet ante γυναικείων κάθοδον ἔγκυος; dum ſarcinæ neſcia rudimenta miratur & de breui punctulo incrementum locupletis vteri, fœtum aut abortione perdit, vel ἠλιτόμηνον reddit Libitinæ. Neque tutiùs ἐπιγόνους, ſuccedaneos, gemellóſue gladiatoriæ Veneris ἐπαίκλια, aut concipit aut parit quantumuis ἐπίγαμος quia naturâ μονοτοκεῖ, nec tum ampliat ſe ſed egerit, vix impetrato ſenibus potiùs quàm νεογάμοις blandimento: abigit quippe aduenam inhoſpitalis embryo, nec patitur commeatus anguſtia conuiuam, tanto beatior πρωτογένεια repigratis. Primo conceptu auidiùs quàm nouals ager vterus alluuius fœcunda fouet ſemina etiam inter menſtrui iniurias, nondum ſatiante fœtu ἀψίκορος: motu inſolito geſtiens ſe prodit, lurido prægnantium vultu, caligantibus oculis, σιελισμῷ, ſtridore dentium, cardiωgmo, κίττα, faſtidio cibi, conuulſâ coxâ, ſegni corporis grauitate, craſſis obſcuriùs ſeriúſue quàm tenuibus, iunioribus quàm vetulis, vtriſque apertiùs menſium ἐπισχέσει. Abortus auſtrinâ hyeme, vere ſquallido gelidóque frequentior (cuius prodromi ſpiratio μετὰ μυχθισμοῦ, colliquatio πταλόγως, mammarum repentina gracilitas, mucoſa locorum proluuies) primiparis inſolentior naturâ, rarior caſu obtigit: penariam cellam nec tum parcitate ſordida vtero reſerante, neque laxioribus dudum aſſuetâ partione retinaculis velut emeritis plurium geſtationum ſtipendiis vacationem anticipante: imò complexu arctiore oneris inexperti circunſcriptus ſeſe tyrocinio officioſiùs componit, cuius tandem partu iuuat doluiſſe, crudeli aliorum indulgentiâ.


IC instructâ longioris æui ſupellectile ἀριστεῖα πρῶτον ἔμμεναι. Vt primus olearum liquor ſuauitate, πρωτόσακτος κονία viribus: reſina πρωτόρρυτος puritate, plantarum nouitii caules pretio bonitatis ſuperant: ita primigenia proles ſuis acceptior dotibus beat genitorem. Primi partus quia abſolutiores fere ſunt marium, vix fœminarum niſi ſeminis ἐκθηλυνθέντος: alioqui viraginum, ἀστεροπαίων: θεασυτέρων non ὑδαταινουσῶν quarum fœcunditati ſi quid detrahas annis accedet. Mares auguſtiore caloris ἐκλάμψει λαμπροὶ τὰς ψυχὰς, ingenioſi, ad imperium nati, vigore generoſæ indolis, τοῦ ἀνδρείου καὶ θυμοειδοῦς conſortio ſurgunt animis altioribus. Singularis illa parque heroibus μεγαλοψυχία, nemini paruitate cordis auctior, index animi diuinioris melioríſque domicilii, naturali quodam illicio omnem ferme ſola parentum gratiam nundinatur: hos ideo ceu felices duraturi generis primitias depereunt ardentiùs: ſicut in animalibus quæ reguntur impetu non electione, vnipara præ cæteris φιλότεκνα. Scrofa primùm edito primam mammam, meliori meliorem præbet. Canis primogenitum primò fert in cubile. Hinc leges æquioris naturæ ſimulachrum in res, iura & nomina parentis primogenitos vocant velut aſſiduos labentis familiæ vindices, queis ortu feliciore firmi benéque habiti corporis melior venit conditio, viuifici nectaris pleniùs irrigui latices, purioris ſpiritus impulſus liberior in vitæ commoda, partium typus filo elegantiore accuratior. Hinc temperatâ occurrunt capitis mole κρατεραύχενες, fronte in maieſtatem exporrectâ, oculis χαροποῖς, foci vitalis amplitudine εὐρύστερνοι, ἀκρωτηρίων robore & magnitudine æuo pertinaci: de cætero εὐσαφέστεροι, viuido colore temperatiores licet intemperatis fati parentibus aut decurtatis integro iure πρωτοτοκίας. Hinc dulce parentis vtriuſque ſolatium naturæque mortalis plena æternitatis fiducia prolis ſimilitudo, aliis precaria vltro ſpirat in primogenitis non felici errore ſed facili formatricis obſequio, artificem radium per ocultos genituræ motus ingenioſè deducentis memori interdum auorum χαρακτηρισμῷ. Quid plura? quantò humore primigenio vita beatior influente, tantò primogeniti ſecuturis. Sic Teucro præſtantior Aiax, nec par animus Atridis, Hercules Iphiclo etiam inuitâ Iunone robuſtior.

Ergo Primi partus viuaciores.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS BARELIER Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXII.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius Charpentier.	M. Ioannes de Bourges.	M. Nicolaus Pietre.
M. Franciſcus Piiart.	M. Ludouicus Robillard.	M. Iacobus Couſinot.
M. Nicolaus Regnier.	M. Franciſcus Bouionier Decanus.	M. Petrus Seguyn Prim. Reginæ Med. & P. R.